



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. I. De Forma substantiali hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. I.

De Forma substantiali hominis.

Indubitata veritas est ex principiis fidei & rationis lumine demonstrata, dari in homine formam substantialem, à minimis elementis, eorumque combinatione distinctam, quæ dicitur anima rationalis. Nam ut alios Script. textus omittam, Genes. 2. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Declaratur autem in Conc. Chalced. contra Philastrium Hispanum, hanc propositionem esse falsam: *Spiraculum, quod Deus spiravit in faciem Adæ, minimè est anima.* Rursus hæc anima respectu corporis humani non est duntaxat forma assistens, velut incola in domo, aut navarchus in navi, aut Dæmon in obsessio; sed est verè propriè per se atque ex natura sua forma informans, intimè unita corpori, cum quo constituit unum per se, seu hominem, ut definitum est in Conc. Vien. sub Clemente V. & in Lateran. sub Leone X. & hanc veritatem nullus negat Catholicus.

Eadem veritas patet ex nobilissimis operationibus, quas elicit homo; ad has enim nulla sufficit materia aut materiæ combinatio, uti patebit ex Contemplatione Anthropologica, ubi ostendam hominis animam spiritualem esse, ac immortalem. Hæc autem anima cum corpore hominem constituit; datur ergo in homine forma quædam substantialis à minimis elementis distincta, quod hic ostendisse sufficit. Ex his autem patet 1. quomodo duæ partes substantiales in sensu Peripatetico uniri possint, ut faciant unum per se. 2. Quid sit pars incompleta, quæ nempe ordinatur ad constituendum tale compositum à natura intentum; etsi enim anima sit anima completa, non est tamen completus homo. 3. Quod forma substantialis rectè dicatur prima radix illorum accidentium & proprietatum, quæ tali toti composito conveniunt.

§. II.

De Forma Brutorum.

Peripatetici jure meritissimo asserunt dari formam substantialem in brutis, quam vocant animam sensitivam: id enim apud omnes omnium temporum Nationes ita receptum est, aut potius inditum, ut probatione non egere videatur, imò nulla probatione ipsis persuadeas contrarium, quin & illi ipsi, qui omnem sensum brutis denegant, id sibi fortè nunquam persuadeant. Interea tamen triplicis generis adversarios habent Peripatetici: Aliqui dicunt, bruta nullatenus sentire, sed esse puras machinas: alii putant, ipsam elementorum combinationem sufficere ad sensationes eliciendas: alii denique ajunt, animam brutorum consistere in ignea quadam aut ætherea subtili flammula. In prima classe sunt Cartesiani, in secunda Elementarii, in tertia quidam Atomistæ: cum singulis jam agendum.

Imprimis contra Cartesianos, quòd Bruta vivant & animata sint Prob. I. ex Script. quæ statim Gen. cap. 1. enumerat omnis generis animantes, *in quibus est anima vivens.* Hæc certè verba non sonant puram machinam, nec ea licet à sensu proprio ad improprium detorquere, contra claram eorum significatio-

E

nem,